

cundo, sed de absolutione activa, et quasi in actu primo; cujus tamen effectus potest impediri. Unde secundo dicimus, quod illa verba absolvo te, non significant absolutionem cum effectu infallibili ex parte pœnitentis, sed ex vi sacramenti, per quod datur infallibiliter absolutio in sacramento: de facto quidem, si non inveniatur impedimentum ex parte dispositionis: si autem inveniatur illud, non dat absolutionem de facto, sed de jure, quia ex vi sacramenti habet pœnitens jus infallibile, ut recedente fictione illa, præterita remittantur.

XLIV. Ad tertiam instantiam respondetur, non sufficere attritionem

esse supernaturalem ex parte sui motivi (quia videlicet procedit ex timore inferni, et amissionis beatitudinis) et quod etiam supernaturaliter ordinetur ad claves Ecclesiæ, et ad perfectam remissionem in sanguine Christi; sed ulterius requiritur quod iste dolor sit cum voluntate efficaci excludendi peccatum, et cum spe veniæ, et in his conditionibus potest deficere attritio, in quantum dispositio est, quia (ut diximus) potest illa voluntas, seu propositum non peccandi esse inefficax, et illa spes veniæ non esse sufficiens, sed declinare vel in nimiam timiditatem, vel in superfluum præsumptionem.

QUÆSTIO LXXXV.

DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST VIRTUS.

I. De habitu virtutis pœnitentiæ agit S. Thomas in hac quæstione, et explicat naturam hujus virtutis; tum per ea quæ intrinseca sunt, in tribus prioribus articulis; tum per ea quæ extrinseca sunt, in aliis tribus. Per intrinseca considerat primo genus pœnitentiæ, scilicet, quod sit virtus, in articulo primo: secundo, speciem illius, ostendendo quod est virtus specialis, in articulo secundo: tertio determinando quod pertineat ad speciem justitiæ, quatenus reddit debitum alteri, licet non ad æqualitatem, in articulo tertio: per ordinem ad extrinseca considerat S. Thomas naturam hujus virtutis per ordinem ad suum subjectum, in quo est; et per ordinem ad alias virtutes, cum quibus est. Per ordinem ad subjectum ostendit articulo quarto esse in voluntate; tum, quia ejus actus est dolor, seu tristitia; tum, quia habet modum justitiæ ad alterum; et totum hoc pertinet ad voluntatem. Per ordinem ad principium, a quo originatur pœnitentia, ostendit articulo quinto pœnitentiam oriri ex timore; proxime quidem a timore filiali, quatenus ex reverentia Dei movetur ad illum ut ad patrem pro emendatione; remote autem a timore servili, quatenus incipit pœnitere ex timore supplicii. Denique per ordinem ad reliquas virtutes, ostendit articulo sexto pœnitentiam non esse primam simpliciter inter cæteras virtutes, neque in executio-

ne, quia sic prior est fides et spes; neque ordine dignitatis, quia sic est charitas: est tamen prima quantum ad aliquid, quatenus supposito peccato operatur ad restaurandum gratiam et virtutes, et sic præcedit eas ut restaurandas, non absolute.

DISPUTATIO XXXIV.

DE VIRTUTE POENITENTIE.

ARTICULUS I.

Utrum pœnitentia sit virtus, et in qua specie virtutis?

I. Totam pœnitentiæ quidditatem, seu naturam in hoc articulo explicabimus, tam ex parte generis, quam ex parte speciei, seu differentiæ. Incipiendo ergo, a genere, dico primo: Pœnitentia vere et proprie est virtus. Non disputo modo, an sit virtus distincta ab aliis, vel non; de quo est difficultas apud auctores; sed solum affirmo esse virtutem. Probatur a S. Thoma in articulo primo; tum in argumento Sed contra, quia de pœnitentia datur divinum præceptum; sed præcepta sunt de actibus

virtutum: ergo poenitentia est virtus. Minor probatur, quia præceptum legis non potest esse nisi de actibus bonis; nam finis legis est homines facere virtuosos: ergo præceptum legis debet esse de actu bono morali, seu de actu virtutis. Major vero constat ex Scriptura Matth. iv, et Act. ii: *Poenitentiam agite*: Lucae xiii: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*: Act. xvii: *Nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant*; tum secundo probatur in corpore, quia poenitentia, licet prout dicit tristitiam in appetitu sensitivo, sit passio, tamen prout est in voluntate, dicit tristitiam seu dolorem cum libera electione; electio autem libera, si est recta, est actus virtutis: ergo tristitia seu dolor poenitentiae ex recta electione procedens, est actus virtutis, quia virtus est habitus recte electivus: sed sic est, quod pertinet ad rationem rectam, ut aliquis doleat de eo, de quo dolendum est, et eo fine quo dolendum est; quod quidem servatur in poenitentia, si quidem dolet de peccato præterito cum intentione removendi illud, et satisfaciendi Deo, quod est motivum honestum: ergo poenitentia est virtus.

ARGUMENTA.

II. Contra hanc conclusionem et probationem ejus, difficultas se offert supponendo, quod S. Thomas non solum intendit probare, quod poenitentia est virtus laudabilis quomodocumque, sed vera et propria virtus in toto rigore; potest enim aliquid esse laudabile per modum passionis, sicut verecundia, quæ tamen non est virtus, quia virtus procedit ex electione, non ex passione. Loquendo ergo de virtute rigore sumpta, difficultas est tum de ipsa re, tum de ratione S. Tho-

mæ. De ipsa re, quia poenitentia ex natura sua supponit imperfectionem repugnantem virtuti: ergo non est virtus. Antecedens probatur primo, quia supponit peccatum ab ipsomet homine commissum; est autem contra rationem virtutis quod essentialiter supponat suum contrarium in subjecto in quo est: secundo, quia non supponit peccatum exclusum a subjecto, si quidem antecedit gratiam, per quam tollitur peccatum: ergo prout antecedit gratiam non est virtus: tertio, quia non est in Christo, quia poenitentia supponit hominem imperfectum, scilicet peccatorem. Unde sequitur, quod poenitentia non est dispositio perfecti, sed imperfecti (scilicet subjecti peccantis) virtus autem est dispositio perfecti ad optimum, ut dicitur in septimo, physicorum, quia est dispositio seu habitus hominis perfecti (id est, justi) ad optimum, id est, ad finem bonum. Et similiter sequitur, quod poenitentia directe et per se non sit appetibilis, sed solum ex suppositione peccati, imo ex suppositione non habendi virtutes, quia poenitentia operatur ad restaurandum illas: ergo non est proprie et per se virtus, sed solum dispositio ad virtutes, antecedens illas, si quidem caret conditionibus virtutum, ut quod sit per se appetibilis, et dispositio perfecti ad optimum.

III. Confirmatur, quia verecundia non est virtus, licet sit passio quædam laudabilis, ut ex Aristotele iv ethicorum docet S. Thomas hic articulo primo ad secundum, et in secunda secundæ, quæst. cxliv, art. 1. Et similiter continentia non est perfecta virtus, ut docet ibidem quæstione clv, art. 1: ergo nec poenitentia est virtus. Consequentia probatur, quia sicut verecundia est timor exprobatum de turpi facto, ita poenitentia est dolor de turpi facto, seu de peccato. Nec

est sufficiens disparitas, quod verecundia est de turpi facto præsentis; poenitentia autem de præterito. Nam contra est, quia etiam verecundatur de turpi facto jam transacto, si nobis exprobetur, et memoriæ occurrat, sicut per poenitentiam tristamur de peccato præterito, prout redditur præsens memoriæ, et adhuc existit præsens in voluntate in non justificato: ergo sicut verecundia non est virtus, quia virtuosus nihil exprobrabile, sic et poenitentia non erit virtus, quia virtuosus non supponit crimen a se commissum de quo tristetur.

IV. Contra discursum autem S. Thomæ fit argumentum: Quia ex eo probat S. Thomas poenitentiam esse virtutem, quia pertinet ad rectam rationem ut doleat de eo, de quo dolendum est, et eo fine quo dolendum est: contra quod fit instantia: Quia contrariorum eadem est ratio; sicut enim pertinet ad rectam rationem dolere de quo dolendum est, ita pertinet ut gaudeat de quo gaudendum est, quia gaudium opponitur dolori, seu tristitiæ; sed gaudium (etiam ex recta ratione procedens) non constituit virtutem, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. xxviii, art. iv: ergo neque dolor constituit virtutem, loquendo proprie rigore de virtute. Secundo, quia sicut potest secundum rectam rationem dolere quis de peccatis, ita potest dolere de miseriis, de infortuniis, de infirmitatibus, quia hæc secundum rectam rationem sunt obiectum doloris et tristitiæ, et tamen non ponitur aliqua virtus ad dolendum de istis calamitatibus: ergo neque ad dolendum de peccatis. Postremo, quia hæc virtus poenitentiae non est moralis, neque theologica, neque intellectualis; ergo nulla. Non intellectualis, quia est in voluntate: non in intellectu, cum ejus actus sit dolor et tristitia,

qui est actus voluntatis: non theologica, quia solum dantur tres virtutes theologice, fides, spes, et charitas, quarum nulla est poenitentia: non moralis, quia virtus moralis potest esse acquisita per prudentiam naturalem; at prudentia naturalis, seu ratio, nihil dictat de poenitentia, quia nihil dictat de gratia et remissione peccatorum, ad quam ordinatur poenitentia, et ratione cujus est virtus: ergo nullo modo pertinet ad virtutem proprie dictam.

SOLVUNTUR.

V. Ad primam difficultatem respondetur, poenitentiam supponere imperfectionem, distinguo; ut materiam rejiciendam et removendam, concedo; ut retinendam, nego. Non est autem contra rationem virtutis supponere aliquam imperfectionem ut removendam, et connotare illam, nam virtutes moderantur passiones, licet præcesserint immoderate in subjecto, quia removere vitiosa extrinseca, et ad medium rationis reducunt: habere autem de præsentis immoderatas passiones insurgentes, non est perfectæ virtutis, quia ratione neque verecundia neque continentia sunt perfectæ virtutes; habuisse autem illas de præterito, et remove de præsentis, non est contra perfectam virtutem.

VI. Ad secundam probationem, quod poenitentia antecedit gratiam, per quam tollitur peccatum dicitur, quod poenitentia sumpta pro habitu virtutis simul infunditur cum gratia, et ante illam solum antecedit auxilium movens ad attritionem, et ad alias dispositiones remotas: habitus autem ipse poenitentiae, quæ est virtus infusa, non infunditur ante gratiam, sed cum

reliquis virtutibus moralibus, quæ comitantur ipsam gratiam; et licet antecederet gratiam duratione et tempore, adhuc non tolleretur quin esset vera virtus quantum ab substantiam, licet sine gratia et charitate non haberet statum virtutis, sicut fides et spes. Veritas tamen est, quod poenitentia non remanet in peccatore, sicut fides et spes, sed infunditur cum gratia; ideoque in instanti quo infunditur gratia, infunditur habitus poenitentiae, potesque ab illo procedere contritio.

VII. Ad tertiam probationem dicitur, poenitentiam non esse in Christo, hoc tamen non tollit esse veram virtutem, licet non ita perfectam ex parte subjecti; sicut etiam fides et spes non sunt in Christo, neque in beatis, et tamen veræ virtutes sunt; bene enim potest aliqua virtus esse vera et perfecta ex parte objecti et specificationis, licet sit imperfecta ex aliqua conditione subjecti; veritas autem et perfectio virtutis regulatur penes objectum; erit tamen minus perfecta, si ex parte subjecti supponat aliquem statum imperfectum, sicut fides et spes supponunt non videri Deum, neque possideri beatitudinem; et poenitentiam supponit peccabilitatem in subjecto, et peccatum ab ipso esse commissum.

VIII. Ad id quod objicitur contra conditiones virtutis, quæ repugnant poenitentiae respondetur, poenitentiam esse dispositionem perfecti ad optimum, quia subjectum poenitentiae non est peccator quomodocumque, sed peccator ut removens et relinquens peccatum; remotio autem peccati non est dispositio imperfecta, si quidem est dispositio convertens ad Deum: et sic est dispositio perfecti, id est, subjecti relinquents peccatum, ad optimum, id est, ad Deum. Ad id vero quod

dicitur poenitentiam non esse per se appetibilem, distinguo; ex parte sui præsuppositi, quod est esse peccatorem, concedo; ex parte suæ rationis formalis, quod est a peccato corrigi et converti, nego. Hoc enim non solum ipsi peccatori, sed etiam Deo et Angelis est valde amabile: *Quia gaudium est in cælo super uno peccatore poenitentiam agente*, Luc. xv: est ergo appetibilis poenitentia peccatoribus propter necessitatem, innocentibus propter bonitatem suam absolutam, quia hoc quod est converti a peccato, ex sua specie bonum est; licet exerceri non possit nisi in subjecto quod habuit peccatum. Quod vero ipsa poenitentia restauret virtutes, non tollit quod etiam sit virtus, quia non desinit, sed permanet cum virtutibus restauratis, sicut etiam fides et spes operantur ad restaurationem gratiæ et virtutum, et tamen sunt virtutes.

IX. Ad confirmationem respondetur ex S. Thoma hic art. 1 ad secundum, quod verecundia est de turpi facto præsentis, quatenus ex illo timet exprobrationem et confusionem, ut etiam docet 2-2, quæst. cxliv, articulo primo; unde verecundia proprie non operatur ad excludendam turpitudinem peccati propter se, sed propter exprobrationem, quam timet: et cum dicitur, quod etiam potest quis verecundari de facto præterito, distinguo; præterito quantum ad executionem, transeat; præterito quantum ad exprobrationem, nego: semper enim manet exprobrabilis de præsentis, et de illa turpitudine ut exprobrabili de præsentis confundimur, quia timeamus exprobrationem; at vero poenitentia tristatur de peccato, non propter exprobrationem præsentem, sed propter offensam Dei: et ideo operatur ad exclusionem peccati, quatenus malum culpæ est: et hoc

maxime pertinet ad virtutem, quia oppositum virtutis excludit in quantum tale. Et saltem poenitentia nunquam potest esse de peccato præsentis, quia si peccatum est præsens, voluntarium est, et sic non habetur de illo dolor: verecundia autem salvatur etiam in facto turpi præsentis, imo tunc maxime est verecundia, quod est manifestum signum ipsam non operari contra peccatum ut peccatum est, sed ut timet exprobrationem: continentia autem non est perfecta virtus, quia non moderatur ipsas passiones, quod pertinet ad temperantiam perfectam, sed contra insurgentes passiones, easque vehementes detinet voluntatem, ne ducatur, quod non est tam perfectum opus virtutis, licet sit majoris laboris et difficultatis ex parte operantis, non ex parte operis: hoc enim majus est, si quis non solum detineat voluntatem ne ducatur, sed etiam coerceat passiones ne insurgant.

X. Ad ea quæ objiciuntur contra discursum S. Thomæ respondetur, quod gaudium et dolor possunt considerari dupliciter, uno modo ut sunt simplices affectus consecuti ad amorem alicujus objecti; ex eo enim quod aliquod objectum amatur, sequitur quod gaudeamus de illo præsentis, et doleamus de illius absentia, et odio habeamus ejus contrarium: et sic odium de peccatis, et tristitia seu dolor de ipsis, non constituit virtutem distinctam a charitate, sicut neque gaudium de Deo: alio modo potest accipi dolor secundum modum specialem, scilicet, prout operatur ad expiationem et vindictam peccati, ut est offensivum Dei: et hac ratione induit aliud speciale motivum, præter simplicem affectum charitatis, scilicet, motivum justitiæ ut satisfacientis injuriam, saltem imperfecte, et sic pertinet ad poenitentiam: in

gaudio autem non invenimus talem specialem ordinem et motum, præter ipsum simplicem affectum dilectionis ortum ex amore; et sic non assignatur gaudio specialis virtus: potest tamen aliquid altius virtute assignari, scilicet, donum Spiritus sancti, quod est sapientia: hæc enim tendit ad cognoscendas res divinas ex quadam experientia, et sapore rerum divinarum, qui sapor et gustus fit ex delectatione et gaudio, quod de divinis habetur: et hoc modo tale gaudium charitatis spectat ad donum sapientiæ, de quo videatur S. Thomas 2-2, quæst. xlv, articulo secundo.

XI. Ad secundum respondetur, quod dolere de infortuniis et miseriis moderate, etiam est actus virtutis, et pertinet ad illas virtutes, ad quas pertinet has calamitates et infortunia remove, verbi gratia, ad misericordiam, qua quis movetur ad sublevandum defectus proximorum; et ad charitatem, qua quis removet a proximis et a se mala; vel etiam ad justitiam vindicativam, qua quis procurat per viam justitiæ se defendere, et vindicare a malis; non autem est specialis virtus, sicut in dolore de peccatis non est specialis virtus, ut est simplex affectus (sic enim pertinet ad charitatem) sed in quantum est expiativus, et satisfactorius divinæ offensæ; quod motivum non invenitur in dolore de propriis, vel alienis calamitatibus, nam si per illas satisfacimus Deo, non est dolendo de illis, sed acceptando.

XII. Ad ultimum respondetur, poenitentiam esse virtutem moralem, ut docet S. Thomas hic art. iii, et in iv, distinct. xiv, quæst. 1, art. 1, quæst. iv, sicut religio quæ reddit cultum Deo tamquam supremo principio est virtus moralis, sic poenitentia, quæ expiat offensam Dei: quod pertinere videtur ad